



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. VI. Cur Crvcis necessariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAP. V. T. VI.

Cur CRUCE'S necessaria.



VCCREVERAT iam aliquò vsq;
 Staurophilæ animus ad CRV-
 CEM suscipiendam, quam vide-
 bat & Christum & Christi ma-
 trem patientissimè tulisse, se ve-
 rò, quiduis demum ageret, nullo modo posse
 effugere: *sed mirabatur enim, quid causæ
 esset, quòd à Christianâ vitâ insolubile vin-
 culum esset tribulatio.* Et, Ne indignetur, in-
 quiebat, Dominus meus, si pergam propo-
 nere quæ animo occurrunt meo. Quid, pre-
 cor, illud est, quòd electos tuos excruciarì
 velis, & neminem sine CRUCE ad Regnum
 Patris tui admittas?

Chrysoft.
 Hom. 66.
 ad Pop.

Respondit Christus: Sufficere deberet, fi-
 lia, quoniam sic placitum est Patri meo, nec
 vllas eius rei exquirere causas, quando opti-
 mè nosti, id æquissimum, quod diuinæ pla-
 citum fuerit voluntati. Non detrectabo ta-
 men nodum hunc, quem proponis, soluere:
 quando & hoc ad imbecillem animum cor-
 roborandum non parum faciat. Huius rei
 gratiâ, *subijciebat Staurophila, id vel maxi-
 mè requirebam: neque enim vllum mihi*

erat dubium, quin optimis niteretur rationibus, quod ab optimo Deo aut fieret; aut fieri permitteretur.

Greg. l. 23.
Moral.
cap. 15.

Audi igitur, dicebat Christus: *Pio Dei consilio agitur, ut huius peregrinationis temporis electorum vita turbetur. VIA est vita presentis quâ ad patriam tenditur, & idcirco hinc occulto iudicio frequenti perturbatione homines conteruntur, ne VIAM pro patriâ diligant.* Hinc mundi iter asperum, ne dum quisquam presentis vite requie quasi amœnitate *VIA* pascitur, magis eum diu pergere, quàm citius peruenire delectet: ne dum oblectatur in *VIA* obliuiscatur quod desiderabat in patriâ.

August. in
Psalm. 43.

Felle proinde miscenda erant omnia, ne mel mundi pro summis deliciis haberetur: nam si semper Deus in istis prosperitatibus faueret, ut omnia abundarent, nullamq; in tempore isto mortalitatis tribulationem, nullas pressuras angustiasq; pateremini, non diceretis, nisi ista, esse summa bona, quae praestat Deus seruis suis, & maiora ab illo non desideraretis. Idcirco autem huic vite male-dulci miscet amaritudines tribulationum, ut alia; quae salubriter dulcis est, requiratur. O infelicitas generis humani! *Amarus est mundus, & diligitur: putas si dulcis esset, qualiter amaretur? Turbatur mundus, & amatur mundus; quid si tranquillus esset mundus? * Fornoso quomodo hereres,*

August.
Serm. III.
de Temp.

*Idem.
Serm. 246.
de Temp.

res, qui sic amplecteris fœdum? flores eius quomodo colligeres? qui à spinis non reuocas manum?

Profectò, inquit Staurophila, non utilis modò, sed etiam necessaria, vt video, CRUX atque tribulatio; alioqui insensati homines relinquerent cælum cæli Domino, terram verò terrigenis, & filiis optarent hominum. Sed vltèrius, subijciebat Christus, *habere bonum Deum bona malaq; distribuenda singulis, & alternatim secundas res, aduersasq; dissipari, easq; ita digerere, vt, utralibet in hac vitâ contigerint, altera in futurâ sint expectanda.* Id scilicet volebat Pater Abraham, cum Epuloni ita loqueretur: *Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

O quàm verè terribilis Deus in consilijs su- per filios hominum! Quis enim non timeat exemplo diuitis huius, quem delicia vitæ igni tradiderunt. Non enim ob iniustitiam, sed propter mollem & delicatam vitam reprehensus, in flammâ fornacis torrebatur. Prosperitas ergo apud Deum crimini est, supplicioque obnoxia; & CRUCE caruisse, perpetuum meretur cruciatum. An non dixi in Euangelio: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram! Væ vobis qui saturati estis, quia esu-*

2
Salian. l. 2.
De Timore Dei,
cap. 33.

Luc. 16, 25.

Psal. 65, 5.

Basil. Homil. 1. de Ieiun.

Luc. 6, 24.

rietis! *Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis!*

Stupebat supra modum Staurophila, & Nisi optimè nobis constaret, aiebat, sapientissimè omnia à diuinâ prouidentiâ ordinari, nescio quâ humana mens hoc Dei iudicium capere possit. Quid ita? inquiebat Christus, nonne & Ethnici id cognouerunt? Quò enim spectant gemina illa Iouis apud Homerum dolia, quorum alterum bonis commodisve huius vitæ refertum sit, damnis & calamitatibus alterum, quæ ille alternatim hominibus dispertiat? Socrates quoque dicebat, dolorem & voluptatem inter se ita esse compositâ, vt sese mutuò sequerentur, vt in puteo vrceus manis & plenus, vita & mors in viuentibus, nox & dies in caelo. Dies præcursor est noctis, & nox prænuntia diei. Qui hîc situlam plenam recipit, postea habebit vacuam. Cui in hac vitâ iugiter fulsit dies, in alterâ æterna torquebitur nocte. Ita est, mea Staurophila, nemo potest & hîc & illic frui quiete. Et quid tantum miraris Dei dispositionem? Nonne in omnibus penè rebus humanis vix vlla existit lætitia, quam non tristitia præcesserit? *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est*

Salian. vbi
sup.

Ioan. 16,
21.

est homo in mundo. Amaritudo enim praeuentis doloris, commendat amplius gaudia secutura. Sic pretiosior sanitas est, quae post languoris recuperatur incommodum. Agricola quoque de ubertate frugum latari non poterit, nisi prius terram multo labore confecerit, & tantò magis prosperitatis spem congerit, quantò se amplius desudasse cognouerit. Hoc nimirum est quod dici solet, Vbi vber ibi tuber; vbi mel ibi fel. &

Hieron.
Tom. 4. in
Epist. ad
Virg in
exil. miss.

Semper odoriferis proxima spina rosas.

Cumulatè, aiebat Staurophila, dubitationi meae satisfactum. Alias proinde rationes, si quæ sint, libenter excipiam. Pergam igitur, subdebat Christus: *Tentat vos per CRUCES Deus, ut palàm fiat utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in totà animà vestrà.* In igne enim probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliati- nis. & numquam audisti, vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulatio- nis. Bonos in deliciis Deus non habet, expe- ritur, indurat, sibi illos præparat. *Eos autem, quibus indulgere videtur, quibus parcere, mol- les venturis malis seruat.* Non legisti de iu- stis vexatis, quid scriptum? *Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tam- quam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore*

Deut. 10, 3

Eccli. 2, 5.

Eccli. 27, 6.

Seneca de

Prouident.

Sap. 3, 5.

erit

erit respectus illorum. Vexati ergo, afflicti, & cruciati Deo digni sunt. Contra, qui non accipit CRVCIS suam, & sequitur me, non est me dignus. Et verè ille miser est, qui in afflictione constitutus nimium tristatur, & Deo non se dignum præbet.

Math. 10,
38.

* Nicetas
Choniates.

Tob. 12,
13.

Chrysof.
Hom. 1. ad
Pop. An-
tioch.

Verùm, inquiebat Staurophila, quid opus probatione, cum Deus vniuscuiusque nouerit virtutem, etiam si nulla ingruat aduersitas? Non ita probat Deus, respondebat Christus, vt noua ei succedat notitia, sed vt aliis notam faciat iustorum tolerantiam, cui ipse materiam suggerit & occasionem. Ita Tobia dictum: *Quia placebas Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te, & declararet, non Deo aut Tobia, sed aliis hominibus, quam excelso animo sustineret aduersa. Et nesciunt plerique quâ mente Sancti Deum colant, & non rarò propter præsentis vitæ felicitatem Deo seruire credunt, sed CRUX & tribulatio facile ostendit, quanto Deo adhæreant amore. Ita diabolus ob temporalia bona Deum à S. Iob coli opinatus est. Cum enim videret sanctissimum virum valde copiosum & opulentum, nihilq; haberet quod ei accusationis loco obiceret, ad hanc confugit calumniam: Numquid gratis te colit Iob? Circumuallasti interiora & exteriora eius: propter mercedem ille virtutem sequitur, tantâ fruens opulentia.*

Quid

Quid igitur fecit Dominus? Volens demonstrare quod Sancti ipsum non colant propter mercedem, omnem substantiam abstulit, & paupertati tradidit, & in grauem morbum incidere permisit. Et quidem omnibus ille diuitijs circumfusus, quis esset, non multis manifestum erat, postquam verò ipsas velut vestimentum exutus, athleta abiicit, & ad pietatis certamina nudus intrauit: sic spoliatus spectatores omnes perculit, ita vt & ipse Angelorum Dominus super animi eius tolerantia vehementer acclamaret, & victori illi applauderet.

Cognosco nunc Domine, aiebat Staurophila, necessaria esse forium exempla, tum vt eos, prout meriti, veneremur; tum vt ad eorum accendamus imitationem. Subiecit verò Christus: Sed & alteram audi rationem, magna & precipua virtus est patientia; carebit hac iustus, si nihil patiatur aduersi. Est enim patientia, malorum, quæ aut inferuntur, aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. * Paternum Deus habet aduersus bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, vt verum colligant robur. Non est arbor solida nec fortis, nisi in quàm frequens ventus incurSAT: ipsa enim vexatione constringitur, & radices certius figit. Marces sine aduersaria virtus: tunc ap-

paret

Lactant. de
Iustit. l. 5.
cap. 23.

* Seneca l.
de Prouid.

paret quantum sit, quantumque valeat polleat,
cum quid p[er]sit patientia offendit.

Prudent. in
Psychom.

Nam videtur est Virtus, quam non patientia
firmat.

Fateor, inquiebat Staurophila, paternum
Dei erga nos animum: sed dura est super
nos manus eius. Quis enim vel à vitrico
continuas expectet vexationes, & non leues
calamitates? Matris, video, aiebat Christus,
requiris blanditias, & foueri sinu, contineri
vmbra, numquam contristari, numquam la-
borare, numquam affligi desideras. Num-
quam audisti,

Lucan. l. 9.

Gaudet patientia duris?

Apoc. 3, 19.

vel illud Patris misericordiarum, Ego quos
amo, arguo, & castigo? Hanc rationem in ele-

Seneca l. de

Proident.

ctis suis Deus sequitur, quam in discipulis
præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in
quibus certior spes est. Numquid tu inuisos esse
Lacedæmonijs liberos suos credis, quorum ex-
periuntur indolem, publicè verberibus admo-
tis? ipsi illos patres adhortantur, ut ictus fla-
gellorum fortiter perferant, & laceros ac se-
mianimes rogant, perseverent vulnera præbere
vulneribus. Et verò monasteriorum Præfe-
cti, ut nouisse potes, vix admittunt, nisi durè
exercitatos. Narrat Climacus, fuisse mona-
sterij dispensatorem pudicum & modera-
tum, & mitem ut quis alius. In hunc mona-

Climac.

Grad. 4.

ante med.

sterij

sterij Pater inuectus est absque vllâ causâ, iussitque de Ecclesiâ proijci: Intempestiuè sanè. Climachus cum eum sciret eius criminis, quod Pater obiecerat, in fontem, seorsim Patri illi dispensatoris commendabat innocentiam. Ad quem & ille sapientissimè. Scio, inquit, Pater, sed sicut crudele est ex ore famelici *infantis panem rapere, ita & se ipsum & operarium ledit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit, horis singulis providere satagat, siue per contumelias, siue per ignominias, siue per obiectiones, siue per ludibria.* Quòd si Cœnobiarcha ritè, ac ordine facit, quando infontes etiam contumelijs exercet; cur amplissimi monasterij Pater, orbis gubernator Deus, qui Oceano & celo velut muris clausum continet monasterium suum; cur hic, inquam, magnus Pater iniquè faciat, si filios suos fame, morbis, egestate, iniurijs exerceat? Denique, ne diutius te traham; & ideò CRUCES à Deo immittuntur vt coronæ & præmia vobis augeantur. Quantum enim tribulationes intenduntur, tantam & retributiones ampliuntur. Imò & amplius. *Non enim sunt Rom. 8, 18. condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis.*

*Drexel in
Gymnas.
patient.
part. 1. c. 2.

CA-

Pondus et statera iudicia Dñi sunt. Prou. 16, 11.



CRVX sua quemq, manet, certo quā pondere sumamus
Arbiter ex magno mittit amore Deus.